



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 17. Exemplum innocentis à diabolo insessæ fæminæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

approbatum ; hinc sacramentorum baptismi, confessionis, & Eucharistiæ virtutem illustratā; quibus omnibus prædictus author, alijque scriptores, dæmonem cessisse docuerunt. Esto igitur faciat ex obsessis monstra monstruosus ille habitator, non facit id, sine iusti Dei permisso, non sine prouidentia, non si ne caussa, non sine mille emolumentis.

## §. XVIII.

*Exemplum innocentis à diabolo infessa feminæ.*

Hoc pacto consolatus est S. Cuthbertus præfectum Egfridi regis Hildmer nomine, cuius uxor cùm eleemosynis & ceteris virtutum fructibus esset intenta, subito correpta à dæmonе acerrimè cœpit vexari, ita ut stridendo dentibus, voces miserabiles emitendo, brachia vel cetera corporis sui in diversa raptando, non minimum cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorem. Ea ita iacente, maritus concitato equo Cuthbertum adiit, req; ipsa cælata, ab eo petiit fæcerdotē. At Cuthbertus ad orandum sedens diuinitus didicit rei veritatem. Reuersusq; ad eum, Non inquit, alium mittere, sed ipse ad visitandam eam tecum pergere de-

Ven. Be-  
da in vita  
S. Cuth-  
berti c. 15.

beo. Cumq; agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis profluentibus in maxillam prodere lachrymis. Temebat enim, ne cum eam demoniosam inueniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino, sed ficta fide seruisset. Quem vir Domini blandè consolatus, Noli, inquit, plorare, quasi inuenturus sim coniugem tuam, qualem non velim. Scio enim ipse, quamuis te dicere pudeat, quia demonio vexatur: scio etiam quia priusquam eò peruererimus, fugato demonio liberabitur, ac nobis aduenientibus cum gaudio occurrens, has ipsa habenas sanissima mente excipiet, nosq; intrare citius obsecrans, ministerium quod consueuerat, nobis sedula impendet. Neque enim tali tormento soli subjiciuntur mali, sed occulto Dei iudicio aliquoties etiam innocentes in hoc saeculo, non tantum corpore, sed & mente captiuantur à diabolo. Hæc ille, quæ claram ostendunt, energumenos, de quorum scelere nihil constat, non esse temerè, tanquam sceleratos, iudicandos; sed sàpe ad Sanctorum gloriam, à quibus liberantur, alijsq; occultis Dei iudicijs, cruciari. Neq; enim unica tantum Deo est rerum permitendarum caussa. Noui hominem in suis oculis magnum, qui ausus est alium nō so-

lùm

Iùm apud ceteros differre, verùm etiam manifestè persequi, quòd audisset, eum à dæmone vexatum. Idem, credo, fecisset Iobo, si cum illo vixisset. O quàm iusta sunt iudicia Dei! Nam hic ipse, eodem vexationis genere, per eiusdem spiritus ministerium, paria passus est: sed non paria de se judicauit. Quia enim *non videmus matice, quod in tergo est*, sibi ipse ignouit, immò laudi duxit, quod in altero censuit esse indicium improbitatis.

## C A P V T XIV.

*An, & quomodo diabolus possit creaturas in monstra conuertere?*

## §. I.

*Sensus questionis, & aduersariorum fundamenta.*

**S**upereft tertius modus, quo diabolus non jam se ipsum, neq; eos, quos possidet monstrificos facit, sed homines & ceteras creaturas videtur re ipsa ac verè in monstra mutare. Satis enim monstrosum est, si animal aliquod de una specie in aliā transformatur: quod num fiat, & quo modo fiat, aut non fiat, tamēt